



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Enarratio Epistolæ Prioris Ad Timothevm, Et Dvorvm
Capitum secundæ**

Melanchthon, Philipp

Vitebergæ, 1561

VD16 M 3167

Præsta te ministrum rectè secantem sermonem veritatis &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36308

II. EPISTOLA AD

rali, sed etiam de incremento donorum, qua fideliter docentibus auget Deus, Vt Agricola primum fruitur suo labore, Sic Doctor fidelis primum percipiet sui laboris præmia, accendet Deus in ipso maiorem lucem, maius robur fidei, & alia dona, quia fideliter docet, sicut parabola de negociantibus docet, Luc. 19. Habenti dabitur, & à non habente etiam id quod habet auferetur.

Præsta te ministrum rectè secantem sermonem veritatis &c.

EXistimo sumptam esse metaphoram à diuisione membrorum in uictimis, quas non licet temerè partiri, sed pectus & hamos oportet abscindi ab adipe, & dari Sacerdotibus, qui in uictimabant, Adeps, renes, cauda cremabantur, & Lex non solum significationis, sed etiam utilitatis rationem adhibuit, attribuit enim eas partes Sacerdotibus, quæ sunt magis carnosæ, reliqua cremabantur. Cauda significabat omnes actiones referendas esse ad Deum tanquam ad finem. Adeps seu pinguedo significabat rigari omnia à Deo. Renes significabant carnales affectus cremandos.

Ab illa igitur arte secandi uictimam sumitur similitudinem, cum iubet rectè secari uerbum Dei. Complectitur autem uniuersam diligentiam rectè docere.

docendi, & quia in docendo diuisionum et defini-
tionū magna uis est, Doctorem tenere necesse est
ordinem membrorum totius doctrinae recte distri-
butum, ut manifestum est, horrendas confusiones
sequi, quando non recte miscentur genera doctri-
narum, Legis & Euangelij, doctrinae spiritualis
et politicae. Assuesfaciat etiam doctor auditores, ut
ipsi quoque integrum doctrinae corpus mente com-
prehendere possint, & uideant seriem membro-
rum, initia, progressionem & exitum. Hæc senten-
tia etiam testatur placere DEO studia discenti-
um, quia nemo potest recte docere nisi didicerit,
sicut & supra 1. Tim. 4. monet, inquit: Attendite
lectioni, consolationi & doctrinae.

*Prophanas uerborum inanita-
tes uitato &c.*

Cancrena uocabulum, est factum à uerbo
κῆρυξ, quod significat arrodere. Est au-
tem malum foecius cancro, urens et arrodens car-
nem & ossa, ut statim uelut in cinerem redigan-
tur. Ac nisi membrum citò præcidatur, occidit
hominem. Hac imagine significat impia dogmata,
& celeriter latè uagari, & ualde perniciose esse.
Qua in re non solum uanitas & leuitas humanae
naturae agnoscenda & deploranda est, quæ dele-
tatur mendacijs, sed etiam Diabolorum malicia,

N 3 & po